



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Vtrum pœnitentia sit sacramentum 31

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

mandis, quod talis absolutio omnibus qui eam vera ac solida fide, seria peccatorum pœnitentia, ac firmo emendationis proposito accipiunt, efficax sit. De omnibus his operibus expressum quidem habemus mandatū Dei in S. Scriptura: verū de usu signi impositionis manuum ad Confirmandū & absolvendū nullū habemus. Hinc est quod D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, inquit, *Impositionem manuum in confirmatione mandata esse ad honorem potius Sacerdotij, quàm ad Legis necessitatem.*

Quod verò Aduersarij dicunt, Confirmationem à Christo ante ascensionem ad cœlos promissam, postea verò in die Pentecostes redditam esse, vnicuique in promptu est, quàm id omni careat fundamento. Dominus ante Ascensionem suam ad cœlos id pollicitus est, quod & postea præstitit in die Pentecostes, nempe Baptismum Spiritus S. & copiosam eius effusionem, vt Deum variis linguis celebrarent, mirabilia eius facta annuntiarent, prophetarent, & miracula ederent: quemadmodum in Apostolis apparuit. Quid verò eiusmodi confert Suffraganeis, quando paruulis cum Oleo signum crucis in fronte pingit, & alteram eorum maxillam percutit?

Iam Liber Reformationis neque de vera confirmatione, neque de Pœnitentia & Christiana absoluteione, neque de legitima Ecclesiæ ministrorum ordinatione quicquam omisit, quod in Sacra Scriptura ea de re docetur: id quod videre est in Articulis peculiariter de singulis istis in libro propositis. Ad hæc signum Impositionis manuum ad Confirmationem nominatim ordinauit. Quare nihil hinc erat, quod occasionem & materiam accusandi Aduersariis daret, siquidem edificatio illis cordi esset, & non de nudis nominibus ad Christianæ Reformationis impedimentum contendere vellent.

De Pœnitentia.

CAPVT XXXI.

PŒNITENTIAM quoque Sacramentum faciunt, nō tantum absque autoritate S. Scripturæ & omnium S. Patrum exemplo, sed etiam contra propriam ipsorum definitionem, qua ponunt, Sacramenta esse inuisibilis gratiæ Dei visibilia signa. Iam verò Pœnitentia, quemadmodum S. Scriptura, & omnes Sancti Patres hoc nomine vtuntur, non est visibile signum, sed verus dolor de peccatis, & pœnitentiam agere, est veris pœnitentibus operibus & fructibus, serium de peccatis dolorem & contritionem ostendere. Absoluere à peccatis, est librum pronuntiare, Deoque & Ecclesiæ reconciliare: Quamuis etiam Petrus Lombardus Pœnitentiam ex Sanctis Patribus ita definit, quod sit virtus vel gratia per quam admissa mala cum proposito emendationis plangimus & odimus: & plangenda vltius committere nolumus.

hinc Aduersarij novos fidei articulos Ecclesia obtrudere.

Ex Petro Longobardo & scholasticis Doctoribus vo-